



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sect. II. Ostenditur, Deum cognoscere futura conditionata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

*Tria instan-
tia rationis,
triplici ob-
jectorum
status respo-
dentia.*

primum, quo sunt merè possibilis; tertium, quan-
do per realem existentiam sunt in sua differentiâ
temporis futura; secundum instans, seu medium
inter hæc duo est, quo concipiuntur objecta, non
ut merè possibilis, nec etiam ut absolute futura,
sed medio modo inter hæc duo, & quasi de utroque
statu participantia. Utrum autem ex eo quòd ob-
jecta hæc nec sint purè possibilis, nec absolute fu-
tura, dicenda sit hæc scientia hoc sensu media inter
scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ, dixi-
mus suprâ Disp. vigesima secundâ, sect. undecimâ.
Querimus itaque in præsentis, utrum Deus horum
etiam objectorum cognitionem habeat, sicut &
contingentium absolutorum.

IV.

*Prima sen-
tentia negat
Deum cog-
noscere fu-
tura condi-
tionata.*

Prima sententia est Thomistarum recentiorum,
qui negant Deum habere scientiam futurorum sub
conditione: ita Alvarez, Navarete, Cabrera, & alii,
quos latè citat Suarez Tom. I. de Gratia, Proleg. 2.
cap. 1. num. 3. & 4. qui omnes constanter affir-
mant, vel Deum ista omnino non scire, vel non
ante decretum aliquod liberum de iis positum. Ex
illis etiam quidam scientiam horum Deo tribuunt,
tantum probabilem.

V.

*Secunda sen-
tentia affir-
mat Deum
futura hæc
conditiona-
ta cognosce-
re.*

Secunda sententia affirmat, Deum rerum sub
conditione, etiam nunquam ponendarum, certam
& omnino infallibilem habere scientiam, nec nosse
tantum quid in circumstantiis, in quibus est de fa-
cto collocanda, faciet humana voluntas, sed quid in
quibuscunque circumstantiis factura esset, si in iis
poneretur, vel si talia & talia auxilia ad operandum
sibi concessa haberet, esto nunquam de facto in
circumstantiis illis collocanda sit, aut ejusmodi auxi-
lia habitura.

VI.

*Auctores no-
stri, qui scien-
tiam condi-
tionatam in
Deo statuen-
dam affir-
mant.*

Hanc sententiam tenent auctores nostri omnes,
& tanquam positionem certissimam defendunt. In-
primis eam tradidit Molina 1. p. q. 14. a. 13. disp. 17.
mirèque hanc opinionem illustravit. Eandem tenet
Bellarminus To. 4. Controv. 2. de amissione
gratiæ, lib. 2. cap. 17. Valentia hic, q. 14. p. 5. q. 2.
Suarez Proleg. 2. de Gratia, cap. 1. num. 7. Fonseca
lib. 6. Metaph. cap. 11. q. 4. sect. 8. Lessius de Auxil.
cap. 19. Valq. 1. p. d. 67. Erice hic, d. 7. Hurtado,
d. 9. de Anima, sect. ultimâ. Tannerus 1. p. d. 2.
q. 8. dub. 5. num. 11. Granada hic, tract. 5. d. 2.
sect. 2. Ruiz d. 61. usque ad 80. Arriaga 1. p. d. 21.
sect. 2. Arrubal, Moncaus, Meratius, P. Vekenus
hic, Disp. 19. cap. primo, & plurimi, quos brevi-
tatis causâ omitto.

VII.

*Auctores alii
Scientiam
hæc mediam
in Deo ad-
mittentes.*

Ex aliis verò, eruditissimi quique viri hanc ean-
dem opinionem nervosè defendunt: Stapletonus in
Antidoto in cap. 11. Matthæi, & in cap. nonum
Epistolæ ad Romanos, not. 2. Mascarenas Episcopus
Algarb. de auxil. d. 2. p. 3. Malderus Episcopus
Antuerpiensis, 1. 2. q. 111. a. 3. dub. 10. memb. 3.
Gamachus 1. p. q. 23. cap. 3. Lorca, Curiel, &
alii. His ex nobili Scotistarum Schola accesserunt
Faber de Prædestinatione Disp. 65. cap. 2. & Hugo
Cavellus in 2. Dist. 37. q. 2. num. 13. asserens hoc
esse de mente Doctoris subtilis.

VIII.

*Paucissimi
post ortam
hanc contra-
versiam,
Scientiam
mediam non
admittunt.*

Imò, ut loco citato ostendit Suarez, paucissimi
post ortam hanc controversiam scripserunt aucto-
res, etiam ex Academiis, & aliis Religionibus,
qui hanc nostram sententiam non sint amplexi.
Hoc quoque ex professo luculenter ostendit P. Di-
dacus Bæza To. 3. in Evang. lib. 12. cap. 16. §. 35.
Solum noto cum Suarez, num. 9. quidquid jam ve-
lit recentiores Thomistæ, antiquiores nostram
sententiam fuisse amplexos: unde Soto lib. 3. Sum-
mularum cap. 8. lect. 3. hanc doctrinam ponit tan-
quam illo tempore omnino certam, & extra omnem
Controversiam. Imò tandem Alvarez difficul-

tate pressus, in hanc sententiam vel invitus rela-
bitur.

SECTIO SECUNDA.

Ostenditur, Deum cognoscere futura conditionata.

ANTEQUAM hanc nostram de Scientiâ condi-
tionatâ sententiam probemus: Notandum
cum Suario num. 6. aliud esse, ponere in Deo de-
cretum liberum conditionatum *objectivè*, aliud ponere
illud in Deo quasi *subjectivè*, quantumcunque
hæc duo ab adversariis confundi videantur, cum ta-
men sint diversissima. Primum ergo nihil aliud di-
cit, quam quòd Deus sibi repræsentet quid volun-
tas creata esset actura, si cum omnibus requisitis
ad agendum in talibus vel talibus circumstantiis po-
neretur, & consequenter, saltem implicite in hoc
objecto involvitur decretum Dei, cum sit unum ex
requisitis, non tamen propterea sequitur de facto
esse in Deo hujusmodi decretum conditionatum,
sed solum novit Deus quid faceret voluntas creata,
si ipse haberet hoc decretum, & in ea essent reli-
qua ad agendum necessaria.

Quòd verò ad scientiam conditionatam non re-
quiratur decretum, etiam conditionatum, actu po-
situm, patet exemplo deducto ex creatis: potest
enim quis habere hoc iudicium, si Petrus à Rege
vel Principe petierit tale officium, vel beneficium,
Princeps id ei concedet; imò Deus hoc videre po-
test esse verum, & tamen potuit Rex vel de Petro,
vel de officio illo, aut beneficio nunquam cogi-
tasse, & consequenter nec unquam habuisse de-
cretum aliquod, vel voluntatem conditionatam circa
officium hoc vel beneficium ei dandum.

Unde, quidquid dicant adversarii, nihil minùs
asserimus, quam conversionem peccatoris prævi-
deri sine decreto aliquo Dei, aut independentè à
gratiâ: dicimus enim non prævideri effectum ullum
etiam conditionatè futurum, nisi dependentè ab
omnibus suis causis, non quidem actu positis, sed
sub conditione ponendis, ut proximè declaratum
est exemplo donationis officii, quæ non prævide-
tur nisi dependentè à petitione non positâ, sed
conditionatè ponendâ. Sicut etiam dicunt adver-
sarii prævideri consensum futurum, si detur præde-
terminatio, dependentè tamen ab eâ, non positâ,
sed conditionatè ponendâ.

Probatur itaque nostra sententia, primò ex Scri-
ptura, in qua nihil frequentius quam Deum hujus-
modi futura conditionata cognoscere; quæ Scri-
pturæ loca videri fusè possunt in Suario lib. 2. de
Scientiâ conditionatâ cap. 1. & fusius To. 1. de
Gratia, Proleg. 3. cap. 2. Valquez loco citato,
Eric Disp. 6. cap. 2. ubi quatuordecim testimonia
Scripturæ ponit, & passim in nostris auctoribus.
Ego unum tantum vel alterum obiter adscribam.

Primus itaque locus est ille Matthæi 11. v. 22. &
Lucæ 10. v. 13. ubi reprehendens Christus civitates
illas, ait: *Va tibi Corozain, va tibi Bethsaida; quia si
in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt
in vobis, olim in cilicio & cinere penitentiam egissent.*
En prædixit Christus quid viri harum civitatum
fecissent, si talia apud eos facta fuissent miracula,
quæ in Corozain & Bethsaida fuerunt patrata, &
consequenter novit quid facturi sub illâ conditione
fuissent, quæ tamen opera de facto nunquam fue-
runt, sicut nec conditio. Quæ verba non per
exaggera-

I.
*Aliud est,
decretum
conditiona-
tum in Deo
ponere obje-
ctivè, aliud,
quasi subje-
ctivè.*

II.
*Ad Scientiâ
conditiona-
tam non re-
quiritur de-
cretum alicui
positum.*

III.
*Nunquam
sine decreto
Dei videtur
conversionis
peccatoris
facienda.*

IV.
*Sæpe Scri-
ptura ostendit
Deum
cognoscere
futura con-
ditionata.*

V.
*Exprobratio
crovatiarum
Iudeorum
à Christo
facta probat
scientiam
conditiona-
tam.*

exaggerationem aliquam à Christo dicta fuisse, ut nonnulli volunt ex adversariis; sed secundum certam scientiam de iis quæ facturi fuissent Tyrii & Sidonii, variis locis docet S. Augustinus, ut libro de Bono Perseverantia, cap. 9. & in Enchir. c. 95. Idem etiam S. Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, & alii Patres affirmant.

VI. Ex Ezechielis ostenditur scientia conditionata.

Secundus locus, huic non absimilis, est ille Ezechielis 3. v. 5. & 6. Non ad populum profundi sermonis, aut ignota lingue tu mitteris, & si ad illos mittereris, ipsi audirent te. En revelat Deus Prophetæ, quid, tali conditione positâ, si nimirum ad hujusmodi populum verba faceret, quid, inquam, erant homines illi acturi: ergo hoc novit Deus, alioqui revelationem suam, & locutionem exponeret periculo falsitatis.

VII. Ceilitarum proditionem conditionatam revelat Deus Davidi.

Tertius locus est 1. Reg. cap. 23. ubi cum David consulisset Deum, num, si maneret in civitate Ceila, Saul eò descenderet, & utrum Ceilitæ essent cum in manus Saulis eò advenientis tradituri, respondit Deus, & Saul em in eò casu descensurum, & Ceilitas eum tradituros: ubi duplex continetur prædictio conditionata, & consequenter procedens ex certissima scientia conditionata, in qua fundatur. Item lib. 4. Reg. cap. 13. Ubi iustus ab Eliza Rex Joas jaculo percutere terram, cum post tres ictus cessasset, dixit ei Propheta, si sextus, aut septies id fecisset, fore ut Syriam usque ad consummationem percussisset. Videantur reliqua apud auctores citatos.

VIII. Responsa quorundam de conjecturali Dei his de rebus cognitione.

Nec dici potest quod respondent aliqui, estque etiam responsio Calvinii relati à Stapletono citato, Christum scilicet non ex certa scientia hæc prædixisse, quasi infallibiliter sciret quid facturi fuissent, sed solum secundum valde probabilem conjecturam, quod nimirum secundum dispositionem illorum hominum, seu causarum, verisimile erat eos, vel saltem eorum aliquos conversum iri, si hujusmodi signa inter eos facta fuissent: Ceilitas item Davidem positâ illâ conditione tradituros, cum jam ad hoc animum haberent propensum. Quæ responsio, inquit aliqui, ex eo suadet, quod apponat interdum Evangelista in similibus prædictionibus particulam forte, quæ incertitudinem aliquam præ se ferre videtur.

IX. David impugnat hæc responsa, de cognitione conjecturali.

Hoc, inquam, dici nullo modo potest; nil enim opus erat, ut David super eâ re Deum consulere, utrum scilicet verosimile esset, Saul em venturum, ubi accepisset illic manere Davidem, seu utrum hoc esset ex dispositione causarum probabile; nec enim dubitare poterat, quin esset ad hoc Saul inclinatus, cum esset animo in Davidem insensibilissimo, nihilque in votis haberet magis, quam ut eum comprehenderet. Si ergo hoc solum respondisset Deus, nihil dixisset, Davidi antea non cognitum. Ideo ergo Deum hac de re consuluit David, ut certum responsum ferret, quod & Deus ei dedit.

X. Grati dicitur Ceilitas hæc habuisse animum Davidem in manus Saulis tradendi.

Deinde, unde probant adversarii, tunc habuisse Ceilitas propensionem animi ad Davidem tradendum? imò potius verosimile est contrarium, cum tunc David, insigni victoriâ à Philisthæis reportatâ, ab hostibus eos defendisset, & obsidionem civitatis solvisset. Nec ergo David petiit, nec Deus respondit quid tunc haberent in animo loci illius incolæ, sed quid, posito Saulis adventu, & oppugnatione civitatis, circa Davidis comprehensionem essent facturi. Quare non de præsentis vel Saulis, vel Ceilitarum voluntate, sed de futuro eventu consuluit David Dominum.

XI. Contra secundò: juxta regulam namque à S. Augustino & Patribus communiter assignatam, pro-

prietas verborum Scripturæ, & rigorosa eorum veritas est servanda, ubi vel auctoritas, vel necessitas non cogitaliter illa interpretari: nihil autem horum intervenit in præsentis; ergo cum S. Hieronymo, Theodoro, & aliis, propriè potius explicanda sunt hæc & similia Scripturæ verba, quam cum adversariis ad peregrinos sensus detorquenda. Quod si glossa interlinearis in illum locum Regum primo, explicet particulam Tradent, id est, habent voluntatem tradendi, piè explicari debet, cum & contextui, & fini à Davide intento, ac denique communi Interpretum explanationi repugnet. Quare, ut rectè notat Suarez citatus, si quid sit per additionem, vel impropiam acceptionem explicandum, exponatur potius glossa illa, & alii auctores, si qui sint qui ita loquuntur, quam Scriptura; præsertim cum tam clarè loquatur, ut explanatione non egeat; dicit enim expressè, descendet, & tradent.

Proprietas verborum Scripturæ rigorosè servanda.

Non rectè quidam hæc Scripturæ locum explicant.

XII. Deus ex præsentis dispositione non conjicit, sed certissimè omnia cognoscit.

Contra tertio: Si enim solum respondit Deus conjecturaliter, & quantum ex vi præsentis dispositionis discerni possit, ergo cum talis potuisset esse dispositio in præsentis in Saul, ut inde colligi non posset, utrum esset descensurus necne; & in Ceilitis, ut non posset constare essentem cum tradituri an non, contingere potuisset, ut Deus nequivisset omnino respondisse quæstioni, sed quod dicere in hoc casu debuisset se nescire: quod quam indignum Deo sit, quis non videt: ergo non conjicit Deus ex præsentis dispositione quid probabiliter sit futurum, cum hæc dispositio cessare possit, & in contrarium mutari; sed certissimè novit quid de facto erit, positâ tali conditione, nam, ut ait S. Augustinus, Non opinatur Divinitas. Imò ulterius sequitur, potuisse Davidem, positâ etiam illâ Dei revelatione, dubitare utrum Saul descensurus esset, & Ceilitæ eum tradituri.

Non opinatur Divinitas.

XIII. Sequeretur Deum nihil posse certò prædicere.

Contra quartò: Nam alioqui nihil posset Deus certò prædicere, sicque omnes prædictiones Prophetarum redderentur penitus inanes; dicere enim quis posset pari modo, eas non esse de rebus ipsis futuris, nec prædicere Prophetas quid absolute futurum sit, sed quid verisimiliter ex præsentibus circumstantiis erat eventurum.

XIV. Aliud est de prædictionibus comminatoriis, aliud de assertoriis.

Aliud est de prædictionibus comminatoriis Prophetarum, ut cum Jonas prædixit fore ut Ninive post quadraginta Dies destrueretur, & alia hujusmodi; in istis siquidem ex communi usu intelligitur tacita conditio, nisi scilicet persona cui sunt comminationes istæ, se emendet, cum plerumque fiant ut aliquis respiscat, & à malo revocetur. Aliiter verò, secundum omnes, res se habet de prædictionibus assertoriis, quales sunt quas hæc attulimus de rebus conditionatè futuris: hæc enim est regula Deuteronomii 18. inter veras & falsas prophetias assignata. Unde in comminatoriis licitè dubitatur sintne ea eventurâ, quæ comminatoriè prædicuntur, secus in assertoriis.

XV. Particula forte non arguit ambiguitatem.

Ad id quod addebatur, subinde adjungi particulam forte, quæ, cum sit vox ambiguitatis, indicat, non certò rem præcisci, sed solum conjecturaliter. Contra est primò: in multis namque prædictionibus de rebus conditionatè futuris, non ponitur particula forte, ut jam ostensum est. Contra secundò: nam particula quæ in latino vertitur forte, idem est quod & græcè, quæ vox idem sonat quod latine usque, unde est confirmativa sermonis potius quam nota dubitationis, sicque videmus eam frequenter poni in Scriptura, quando sermo est de rebus omnino certissimis, ut Psalmo 80. Ver. 14. & 15. si populus meus audisset me, forsitan inimicos

eorum humiliasset: & Joan. 8. v. 19. Si me scieris, forsitan & Patrem meum scieris, &c.

XVI. Vox fortè, quando ab homine profertur, dubitationem denotat, non quando profertur à Deo.

Tertiò dico: licet vox fortè esset particula dubitationis, servanda tamen, ut benè notat hac in parte Suarez, regula S. Augustini, qui Tract. 37. in Joannem sic scribit: Forsitan dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine, ideo dubitante, quia ne scientie: cum verò dicitur à Deo verbum dubitationis, cum nihil utique lateat, illà dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur Divinitas. Cui hac in re consentit S. Chrysostomus, S. Hieronymus, Theodoretus, S. Gregorius, & alii Patres, qui universim asserunt, particulam illam fortè prolatam à Deo, nullam dubitationem importare, sed nostri arbitrii libertatem, vocemque illam adjungi ut denotetur certissimam Dei præscientiam effectus futuri, libertati nostræ non officere. Verba S. Hieronymi cap. 26. Jeremiæ in illum versum, Noli subtrahere sermonem, si fortè audiant, sic se habent: Verbum ambiguum forsitan Majestati Divine non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum hominis servet arbitrium.

Cur Deus hac voce forsitan interduum usatur.

cà Tyrios & Sidonios. Sive ergo reprehensiones fiant ob majora peccata, sive quòd minus inspirationibus à Deo immissis sint cooperati, non defuisset ipsis excusatio si hanc adversariorum sententiam calluissent, causamque in hoc decretum re-fudissent, vel scilicet quòd habuerit illud Deus circa actus eorum pravos, quos proinde vitare non potuerint, vel quòd illud circa illorum actus bonos, atque ad divinæ vocationi respondendum, non habuerit, sicque mirum non esse, quòd ei non responderint. Verti ergo iis vitio non potuit, quòd non fuerint conversi, sicut conversi fuissent Tyrii, cum eadem, quæ illi, media ad conversionem conducentia non habuissent.

Culpam in hoc decreto conjecit.

Dices: idem sequi in nostrâ sententiâ, & eodem modo reprehensiones reddi inanes: respondere enim potuissent Judæi, ideo credituros fuisse, & penitentiam acturos Tyrios & Sidonios, quia habuissent auxilium congruum, & efficac, quod etiam fecissent ipsi, si similiter ejusmodi iis auxilium datum fuisset. Sed contrâ: ut enim auxilium sit congruum & efficac, pendet à nostrâ voluntate, & cooperatione. Reprehensione ergo digni erant, quòd si eadem signa apud Tyrios & Sidonios exhibita fuissent, quæ apud Judæos, & occasione illorum similes in iis cogitationes bonæ & motiones excitatæ, illi cooperati iis fuissent, & reddidissent congruas; quòd ergo hoc non fecerint, jure reprehenduntur, & coarguntur exemplo Tyriorum.

V. Aliud hæc in parte de decreto, aliud de auxilio congruo.

Præterea, non reprehendit Judæos Christus quòd posuerint impedimenta hujus decreti, sed quòd non crediderint: ergo habebant omnia ad credendum requisita, non minus quàm Sidonii: Benè tamen infert Christus, tolerabilius fore in die judicii Tyriis & Sidoniis, quàm Judæis: cum enim credituri fuissent illi, si tot apud illos parata fuissent signa, quot apud Judæos, indicio est eorum infidelitatem fuisse magis excusabilem, & minus obstinationis habuisse admixtum, sicque non ita grave fuisse peccatum, & mitius puniendam, quàm infidelitatem Judæorum.

VI. Omnia ad credendum, & agentium penitentiam necessaria habebat Corazai.

Tandem, quod supra insinuavi, decretum hoc vim infert voluntati, cum, illo posito, (ut autem ponatur, vel non ponatur, non est in nostrâ potestate) non possit non sequi effectus, & consequenter voluntas per illud est antecedenter ad talem actum à Deo determinata, sicque eum liberè elicere non potest.

VII. Hujusmodi decretum vim infert voluntati.

Hoc decretum latè impugnat P. Suarez Proleg. illo 2. cap. 8. & nervosè refutat P. Erice cap. 7. ostendens esse ipsissimam doctrinam hæreticorum nostri temporis. Certè Calvinus, ut referunt auctores gravissimi, qui Controversias hac ætate contrâ Hæreticos scripserunt, non aliâ ratione Deum asserbat, quæ futura sunt, prævidere, nisi quia, ut ita fierent, decrevit; idcirco autem decrevisse ait, quia voluit. Idem docet lib. 3. Institut. cap. 23. §. 7. ut refert Bellarminus sect. 2. de Amissione Grat. cap. 3. Cum enim ibidem dixisset Calvinus, decrevisse Deum ut Adam periret per peccatum, antequam decerneret eum condere, hocque refundendum esse in solum divinæ voluntatis arbitrium, tandem sibi objiciens, horribile videri ejusmodi decretum, sic respondet: Decretum quidem horribile fateor: inspicari tamen nemo potest, quin præcaverit Deus, quem exiturus esset habiturus homo, antequam ipsam condere, & ideo præcaverit, quia decreto suo sic ordinaverat. Hæc ille.

VIII. Futura in decretis cognosci, ipsi docet Salsarini.

Quale in Deo decretum circa hominem statuit Calvinus.

Quod etiam de aliis hominum peccatis dicunt Calvinistæ communiter, ut videre licet in Beza, & aliis. Unde, non ita pridem Oxonii in Anglia primarius

IX.

SECTIO TERTIA.

Alius modus respondendi ad loca Scripturæ pro scientiâ conditionatâ jam allata.

I. Dicunt aliqui, Deum certò scire futura conditionata in suo decreto.

His ergo convicti nonnulli, fatentur tandem, negari non posse, quin Deus certò sciat futura conditionata, non tamen, inquiunt, per scientiam hanc mediam ea novit, sed in suo decreto. Aiunt itaque, habuisse Deum decretum conditionatum, ut Saul descenderet, si David illic maneret, & ut Ceilitæ eum in manus Saulis traderent, casu quo hic eò descendisset.

II. Nullum decretum est, in quo cognoscantur futura conditionata.

Sed præterquam quòd hujuscemodi decretum tollat libertatem, Dei que bonitate indignum sit hac ratione determinare ad peccatum; vel hoc nomine impugnatur hæc responsio, quòd per eam inanes reddantur reprehensiones Christi, quibus peccata civitatibus illis exprobrabat: respondere enim possent, fore ut in iis circumstantiis Deus circa Tyrios & Sidonios haberet decretum antecedens, quo efficaciter vellet, ut crederent & converterentur, ac relictiis peccatis, ad meliorem se frugem recipere; quòd decretum si circa harum civitatum incolas habuisset, dicerent se non minus credituros, & acturos poenitentiam fuisse, quàm Tyrios & Sidonios.

Inanes hæc modo essent Christi reprehensiones.

III. Atque istud dicitur, hæc futura in decreto non cognosci.

Ut ergo reprehensiones istæ alicujus momenti sint, in utrisque poni debent auxilia in actu primo æqualia: sicut enim si majora signa externa fuisset Deus apud Tyrios & Sidonios patraturus, quàm in his civitatibus Judæorum, non esset huic reprehensioni locus: ita nec si illic, & non hic habiturus fuisset decretum efficac de eorum conversione, quòd multo magis influat, & ad conversionem conducit quàm signa externa, utpote quòd infallibiliter cum eâ est connexum. Habe ergo, inquit, hujusmodi circa nos decretum, & non minus convertemur quàm Sidonii.

IV. Quid excusationis loco obtendere possent Corazaitæ, cur non sint conversi?

Quòd si ipsis dicatur, ideo circa eos non esse habitum à Deo hoc decretum, quòd plura admisserant peccata, sicque posuerant impedimentum: respondebunt causam cur plura peccata commiserint, esse quòd Deus decretum efficac ad hæc in iis peccata impediendâ non habuerit, sicut habuit cir-